

1677

I



PROPOSITIO QUARTÆ
columnæ Theseos Vesperiarum, quam M. Ioan. Gobinet propugnavit in Sorbona, die nonâ Decembris 1676.

Primum Præceptum, Diliges Dominum Deum, &c. negativè sumptum semper obligat; sumptum verò positivè, certo tantùm tempore, instante scilicet gravissimo mortis periculo, atque etiam juxta sanctum Thomam cum primùm homo rationis usum adeptus est.

Prædicta porrò Thesis Vesperiarum ejusdem M. Ioan. Gobinet nullas continet Historiæ seu Disciplinæ Ecclesiasticæ positiones, cujus errorem secutus est in sua etiam Thesi Vesperiarum M. Joannes Baptista de la Ruë contra Statuta sacræ Facultatis.

*Amadeus Guimenius, p. 66. n. 3.
 edit. Lugd. 1664.*

Et illam amplectuntur non ignobiles Magistri atque Doctores quando defendunt Præceptum charitatis per se tantùm obligare in articulo mortis.

Pag. 68 n. 8.

Præceptum affirmativum amoris Dei & proximi non esse speciale, sed generale, cui per aliorum Præceptorum adimpletionem satisfit.

Censura Sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis, 3. Februarii 1665.

Hæc doctrina falsa est, erronea; impia, & primo & maximo Legis Evangelicæ mandato contraria.

Statuta Sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis, articulo septimo, de Licentiatis.

Licentiatus Theses paratas habeat (Vesperiarum) sex columnis distinctas, quarum duæ primæ desumantur ex sacrâ Scripturâ; duæ sequentes ex Historiâ Ecclesiasticâ; posteriores verò ex Theologia Morali.

A

ALIA PROPOSITIO tertiæ columnæ
Theſeos ejuſdem M. Joan. Gobinet
his concepta verbis *Si una opinio ſit
probabilior, & una minus probabilis,
meo quidem iudicio probabilior ſe-
quenda eſt.* CONTRARIAM AUTEM
SENTENTIAM NULLATENUS POSSE
DAMNARI EXISTIMO. ſilentio præter-
mittitur, ne ulla præbeat occaſio
puritatis morum corruptoribus, per-
dendi ſuos fratres, eoſque tanquam
rebelles inſimulandi, etſi Regis ſui
mandatis obedire ducant Religioni.
Saris erit igitur monere planum
eſſe & évidens verè poſſe damnari
opinionem eam, quam ſummus
Pontifex Alexander VII. Cenſurâ
ſuâ in librum Caramuelis contra
Fagnanum, anno 1665. damnavit ;
quam Illuſtriſſimi Archiepſcopi Bi-
turicenſis, Rothomagenſis, Seno-
nenſis, & Mechlinienſis, atque
etiam Epſcopi Aurelianenſis, Ele-
ctenſis, Apamienſis, Convenarum,
Bazatenſis, Nivernenſis, Andega-
venſis, Lexovienſis, Ebroïcenſis,
Cadurcenſis, Dinienſis, Catalau-
nenſis, Tutelenſis, Vincienſis, Suel-
ſionenſis, Bellovacenſis, ~~Monti-~~
~~caſis~~, &c. an. 1658. & 1659. At-
que etiam Eccleſia Pariſienſis, an.
1658. damnarunt ; quam denique
Facultas Theologica Pictavienſis,
cujus Cenſuram ſeptem viri, quibus
à Rege negotium iſtud demandatum
eſt, intactam reliquerunt & inte-
gram, proſcripſit.

Coërcendæ igitur temeritatis eſt contra autoritatem ſummi
Pontificis, totque aliorum Pontificum, & maximè Eccleſiæ Pari-
ſienſis, cujus cenſura per omnes Urbis & Diœceſis Eccleſias pro-
mulgata, nec revocata, vim Legis adhuc neceſſariò obtinet, aſſe-
rere huic proſiſtenti nullam cenſuram inuri poſſe.

2

Apologie des Caſuiſtes, page 47.

On peut ſ'arrêter à une opi-
nion, quoi qu'elle ſemble moins
probable qu'une autre.

*Cenſure de Meſſieurs les Vicaires
Généraux de Monſieur le Car-
dinal de Rhets, Archevêque de
Paris, en 1658. Signée de Con-
tes, de Hodencq, de Gamache,
Seguier, Gaudin, Gauquelin,
Henault, Aleaume, Richecœur,
Louvet.*

Cette doctrine ainſi généra-
lement & indéfiniment con-
ceüe eſt fauſſe, téméraire, & dan-
gereuſe ; introduit ouvertement
la confuſion dans la Morale
Chrétienne, empêche de cher-
cher & trouver la vérité, & don-
ne liberté de ſuivre les inclina-
tions de la nature corrompüe.

P R Æ F A T I O

*Ad extractum ex monumentis Sacrae Facultatis Theologiae
Parisiensis.*

IN Comitiiis Ordinariis habitis in Collegio Sorbonæ die secundâ Januarii anni 1677 exposuit M. Gasto Chamillard Syndicus Sacrae Facultatis quod M. M. Rouland, de Bordeaux & de l'Escole, apud eum conquesti fuerant de thesi vesperiarum M. Joannis Gobinet Doctoris recens inaugurati, in qua hæc haberetur propositio, *primum præceptum, diliges Dominum Deum tuum &c. negativè sumptum semper obligat, sumptum verò positivè, certo tantum tempore, instante scilicet gravissimo mortis periculo; atque etiam juxta sanctum Thomam cum primum homo rationis usum adeptus est, eumque monuerant ut hac de re ad Sacram Facultatem referret: verum M. Joannem Gobinet hac de re Sacrae Facultati suam mentem jamjam declaraturum esse.* Ingressus igitur M. Gobinet veniam petiit à Sacra Facultate, ut sibi dicendi copiam faceret: tum voce exposuit eadem fere omnia quæ in extracto infra scripto continentur; excepto quod mentionem nullam fecit censuræ Guimenii. Vbi verò dicendi finem fecit; iussus est foras secedere dum deliberaret Sacra Facultas. Iamverò statim proposuit D. Syndicus num arbitraretur Facultas sibi factum satis per hanc M. Gobinet declarationem. Responsum fuit, non satisfactum; rem in deliberationem mittendam. Tum è perâ chartulam extraxit D. Syndicus, quam sibi à M. Gobinet datam esse dixit, & in quâ sic legit. *Ego Ioannes Gobinet Sacrae Facultatis Parisiensis Doctor & Socius Sorbonicus, profiteor Sacrae Facultati me numquam in animo habuisse præceptum positivum dilectionis dei ad duo tantum tempora, nempe periculi mortis, & primi usus rationis, restringere: nihil unquam à mea mente fuisse magis alienum, quam divinum illud maximumque mandatum ita coarctare, quod mandatum positivè sumptum credo non istis duobus tantum, sed aliis etiam temporibus per se obligare; duoque tempora in mea thesi posuisse tantum exempli gratiâ, non restrictionis causâ; & pro particula, verbi gratiâ, in theses meas, ex inadvertentiâ irrepisse particulam, scilicet, quam declarationem rogo ut Sacra Facultas gratam habeat.* Hac lectâ chartulâ, rem iterum in deliberationem mitti voluit Sacra Facultas, gratamque habuit M. Gobinet retractationem, cui hoc tantum addi censuit, nempe ut declararet M. Gobinet, nullatenus voluisse se adversari censurâ latâ adversus Guimenium ubi de charitate agit, hancque retractionem suo Chyrographo muniret, quam typis mandandam voluit prædicta Sacra Facultas.

4

E X T R A C T U M

Ex Monumentis Sacrae Facultatis Theologiae Parisiensis.

IN Comitibus ordinariis habitis in Collegio Sorbonae die secundâ Jan-
uarii anni millesimi sexcentissimi septuagesimi septimi, Magister Joan-
nes Gobinet Doctor recens inauguratus initio Comitiorum dixit se ac-
cepisse aliquos de se rumores spargi quasi in suis Vesperiarum Thesibus
praeceptum positivum dilectionis Dei ad duo tantum tempora, nempe pe-
riculi mortis, & primi usus rationis restringere voluisset, aut adversari
censurâ latae à Sacra Facultate adversus Guimenium ubi de charitate agit;
cum autem nihil tale unquam ipsi in animum venisset, è re suâ esse, ipsi-
usque veritatis duxisse, ut quæ fuisset mens sua, palàm ac publicè ape-
raret. Quare volens lubensque declaravit Sacrae Facultati, & omnibus
notum esse voluit, nihil unquam à suâ mente fuisse magis alienum quàm
divinum illud maximumque mandatum ità coarctare, aut à prædictâ cen-
surâ vel minimùm recedere; seque illa duo tempora, quia à Theologis
magis determinata, poluisse tantum exempli gratiâ, non restrictionis
causâ. Unde pro particulâ (*scilicet*) quæ in primas Theses ex inadver-
tentiâ irreperat, in aliis Thesibus posuit particulam (*verbi gratiâ*), ut
omnem tolleret difficultatem, & vel ex eo significaret praeceptum dile-
ctionis Dei (quod dixit in Thesi negativè sumptum obligare semper, id
est ad nihil unquam agendum quod eidem praecepto dilectionis Dei ulla-
tenus repugnet): Positivè acceptum non istis duobus tantum, sed aliis
etiam temporibus per se obligare. Quam declarationem veram atque sin-
ceram rogavit ut Sacra Facultas gratam haberet.

Hanc verò declarationem sponte factam Sacra Facultas gratissimam ha-
buit, atque ut prædicti Doctoris mens & recta agendi ratio omnibus mag-
is innorescerent, eam publici juris faciendam esse censuit. Idque lectum
& confirmatum fuit die primâ mensis Februarii anni præfati. Signatum,
M E M M. T A S S I N.

Case
Uniq
folio
= 2
144
A1
V. 2
no. 44

THE NEWBERRY LIBRARY